Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

spiritus sancti resurrectionis eius mysterium per
uenit. Ad odorem ignis ligna consu
muntur, dum per uirtutem sancti spiritus que per ignem
exprimitur supplicia crucis absorbentur,
que per ligna figurantur. Uincula quibus Sam
son ligatur dissipantur et soluuntur, quia
nexus mortis quibus Christus constringitur
uirtute resurrectionis dissoluuntur.
Samson mandibulam asini que iacet
arripit, dum Christus stulticiam predicationis
que in silentio tor[...]pet uirtute sancti
spiritus erigit. Mille uiros in ea interficit,
dum plenitudinem gentium per stulticiam
predicationis extinguit. De qua
stulticia dicit apostolus: Quia in
sapientia sua mundus deum
non cognouit, placuit deo per stulti
ciam predicationis saluos facere creden
tes. Et item: Nos predicamus Christum cruci
fixum, iudeis quidem scandalum, gentibus
autem stulticiam. Quod autem per asinum predica
tio figuretur, Iacob patriarcha protes
tatur, qui benedicens filiis suis loquitur:
Ysachar asinus fortis, habitans inter termi
nos. Inde Samson ait, cum Christus predi
cationis sue tropheum per mundum ca
nit: In maxilla asini, in predicatio
ne meorum apostolorum; in mandibula pul
li asinorum, in eruditione sequenti
um uel inferiorum doctorum et exposi
torum. Eos deleui, quos de infidelitate
ad fidei confessionem perduxi.
Mille uiros percussi, cum pleni
tudinem gentium euangelii predicatio
ne prostraui. Samson canens hec uer
ba complet, cum Christus in fine euangelii predi
cationem explet. Mandibulam de ma
nu proicit, cum officium predicationis in
fine mundi peragit. Samson nomen
loci illius RAMATLECHI uocat, quod ele
uatio maxille sonat, quia noticiam sue
passionis et crucis cunctis gentibus de
monstrat, per quam euangelii predicatio
mundum illuminat. Samson ualde
sitit, cum Christus in cruce dicit: Sitio. Si
tit enim prius redemptor mundi ereptio
nem suorum in inferno uinctorum, sitit sa
lutem omnium suorum per orbem electorum. Un
de clamat ad dominum, cum uoce mag
na clamans in cruce tradit spiritum.
Ait, cum suam ad inferos descensionem,
suam ab inferis regressionem per spiritum sanctum
prouehit: Tu dedisti in manu serui
tui salutem hanc maximam atque uic
toriam, quia tu deus omnipotens, inquit, qui me tamen
in forma serui humiliaui, meorum
electorum ereptionem et cunctorum hostium
conculcationem tribuisti per mee crucis
passionem. En siti morior, quia desiderio
saluationis cunctarum gentium de
siderabiliter crucior. Incidam in manus
incircumcisorum, cum plenitudo gentium
intrauerit per orbem terrarum. Molarem
dentem dominus in maxilla asini aperit,
cum deus pater ubertatem euangelice predica
tionis per mundum diffundit. Ex eo
aque egrediuntur, cum saluationes
omnium gentium in predicatione eu
angelii perficiuntur. Quibus haustis SAM
SON spiritum refocilat, cum Christus saluati
one omnium gentium exultat. Uires
recipit, cum suorum electorum certum nume
rum plenarie perficit. Nomen loci illius
fons inuocantis de maxilla appel
latur, quia Christi passio per mundi fines
per predicationem euangelii celebratur.